



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hercvles Prodicvs Sev Principis Jvventvtis Vita Et
Peregrinatio**

Pighius, Stephanus Vinandus

Coloniae, 1609

Præsentata. Clivis. VI. Martii. A. Nuncio. Apostolico Gaspare. Gropper. Dilecto. Filio. Nobili Viro Guilhelmo Cliviæ. &c. Duci. Gregorius PP. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13033

PRÆSENTATA. CLIVIS. VI.
MARTII. A. NUNCIO. APOSTOLICO
GASPAR. GROPPER.

DILECTO. FILIO. NOBILI VIRO,
GUILHELMO CLIVIÆ, &c.
D U C I.

GREGORIUS PP. XIII.



I L E C T ^o fili, nobilis vir, Salutem & Apostolicam benedictionem. Nihil potuit nobis gravius accidere eo casu, quo sumus gravissime afflitti. Carulus Fridericus non minus nobis charitate filius, quam tibi natura, veneratus a Maximiliano avunculo defessus & languens de via. Exceptimus eum eo honore & gaudio; quo par erat filium nostrum in Christo charissimum, & tanti Principis natum, tantisque virtutibus praeditum, nec prius illum a nobis discedere, & Neapolim (cujus urbis visenda studio tenebatur) ire passi sumus, quam bene firmum & robustum vidimus. Inde cum rediret, eodem ipso, quo ad nos pervenit die, cum febre decubuit. Nihil praetermissimus, quod quidem humana ope provideri atque suffici potuit: eandemque in eo curando diligentiam adhiberi fecimus, quae nobis ipsis simili in periculo adhiberi potuisset. Hoc tibi alios confirmaturos aut confirmasse jam, confidimus. Cum autem nihil proficeretur, morbusque ingravesceret; quod extremum erat, ad divinam operem impensis implorandam configimus, perque omnia tempa & religiosas domos pro illius salute supplicari fecimus. Neque tamen nostras & ipsorum preces aspernatus est Deus: sed ut solet amplius multo, atque abundantius tribuit, quam postulabamus. Nam pro hac mortali & caduca, quam Carulo Friderico precabamur vita, tribuit ei divina bonitas immortalem illam & beatissimam, cuius causa facti sumus: & quo totis viribus omnes niti atque aspirare debemus. Acerbum certe nobis est, & fere intolabile, carere tanto filio, tamque amabili: eque nostro dolore facile existimamus de tuo. At quoniam nos mortales agnoscimus,

Deum-

Deumque benedictum (tametsi sepe nos latet ejus consilio ratio) omnibus in rebus, ut optimum Parentem, scimus nobis, nostrisq; præclarè consulere: æquum est nos ejus voluntati acquiescere, & gaudere quod illum ad se in cælum evocarit. Quod quidem pollicetur nobis ipsius pietas, quam sepe alias, tum vero in ipso ægritudine (sæpius enim ad eum visendum ivimus) in eo singularem perspeximus. Ferebat æstum febris cum summa patientia; Deum semper in ore habebat, eum invocabat; non corpus sed animam ei suam commendabat. Ad extremum omnibus criminibus absolutus, Sacramentisque ecclesiasticis munitus, nostraque dispensatione Ecclesiæ thesauris, hoc est, meritorum Jesu Christi, sanctissimæq; Virginis, aliorumq; Sanctorū, omnibus pœnæ, si quæ reliquæ fuissent, liberatus; eo charitatis provectus est; ut multis audientibus pferret illa Pauli veſba, Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Maxima hæc sunt, charissime fili, ad consolandum: & tanta, ut merito debeant omnem dolorem abstergere. Etenim filii felicitate dolore parētis non est, suo verò ipsius incommodo cōmoveri, seipsum amantis est, & suas rationes ad communis summiq; parentis Dei voluntatē minimè accommodantis. Illud etiā cogitemus, non periisse filium, sed ad optimum Parentem pervenisse, non vitam perdidisse, sed ad meliorem migrasse: non nobis creptū esse, sed in cælum receptum. Quis vero unquam peregrinus lamentatus est periisse sodale suum, quem persuasum habuerit citius ad hospitium pervenisse? Ferat modò ejus breve desiderium atque absentiam: cumque ipse eodem pervenerit, una cœnabit, qui escet, perfreturque amico. Hoc nimur erat, quod monebat Apostolus: Ne contristemini de dormientibus, si cū ceteri, qui spem non habent. Eyasit jam is, quem desideramus, ex gravissimis hujus itineris periculis, capitaliūque hostium & latronum insidiis, fruiturq; latus summa & semperita tranquillitate: & dolebimus cum non adhuc in his periculis versari? An non experimur, longiorein in hac vita cōmorationem, multorum maximorumq; committendorū criminum occasionem esse? Divinam igitur Sapientiam audiamus. Justus, inquit, si morte poccupatus fuerit, in frigorio erit: raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Hæc nobis ipsis ad consolandum proponimus, quibus ut tu quoq; utaris, cūq; primis naturæ cōmotionibus fatisceris,

teque in dolendo parentem præstiteris; sapientem & ser-
 vum Christi in dolore leniendo ut præstes, omniaque à pa-
 terna Dei manu cum gratiarum actione accipias, dicasque
 "cum beato Job: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut
 "Domino placuit, ita factum est, Sit nomen domini benedi-
 "ctum; etiam aque etiam rogamus. Deus ipse, omnis consola-
 tionis auctor, consoletur nobilitatem tuam, teque indies au-
 geat sua gratia, nobisque facultatem tribuat, nostram erga
 te voluntatem declarandi. Quæ cùm semper fuit paterna,
 tuorumque commodorum cupidissima; hoc tempore coe-
 rit propensior, quo altius in animo conservabimus dulcissi-
 mam memoriam amoris, quo hunc filium benedictum pro-
 sequebamur. Cetera ex Nuncio nostro Gropperi cognoscetis,
 cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud S.
 Petrum sub annulo Piscatoris, die 10. Februarii. M.D.LXXV.
 Pontificatus nostri anno tertio.

Ante. Buccapadolius.

S A N C T I S S I M O. P A T R I. E T
 D O M I N O. G R E G O R I O. X I I I. S. R O M.
 E T. V N I V E R S A L I S. E C C L E S I A E. P O N-
 T I F I C I. O P T. M A X. D O M I N O. M E O
 C L E M E N T I S S I S S I M O.



U A N T A vis sit affectus & pietatis patris erga
 unicè dilectu natum, re ipsa proximis hisce die-
 bus sum expertus, cum allatum fuit de præma-
 tura morte charissimi mei filii primogeniti Ca-
 ruli Fridericī pie memorię tristissimū nuncium.
 quod sanè in summum me dolorem ac mœrorum conjecit.
 Omnia n. statim animo meo paterno, ut in tā gravi vulnere
 evenire solet, obversabantur, q̄ acerbiorē hunc casum redde-
 rent. imprimis verò optima spes de eo cōcepta, & q̄ jam ætas
 ejus reb⁹ gerendis apta fieret: p̄dicataq; mihi saepius à multis
 etiā principib. viris p̄clara ejus virtus atq; indeoles: quib. Dei
 benignitate confisus, mihi certo persuaserā, cū non solū bacu
 ū firmū senectutis mæ futurum; verum etiā aliquādo ditio-

nibus